



PATRONO SUO.

THESES UTRIVSQUE JURIS.

EX MATERIA SORTITO DUCTA.

CANONICI.

Ex Cap. *Quia nonnulli* 9. Extrâ. *De Clericis non residentibus.*

BENEFICIUM datur propter officium quod præstandum est in loco Beneficii; ideoque Clericos in Beneficiis suis residere debere manifesti juris est.

INDE Concilio Lateranensi tertio cautum est ne dignitates ecclesiasticæ aut Ecclesiæ paræciales conferantur, nisi iis qui residere possint & curam earum per se exercere.

PENNA Clericorum non residentium est ut fructibus Beneficiorum primum, mox si contumaces extiterint, ipso Beneficio privantur.

SUNT tamen causæ quædam legitimæ, ex quibus Clerici absentes, nec actu in Beneficio residentes excusantur.

QUI morbo vel infirmitate, aut etiam senio retinentur, nullo Beneficii emolumento carere debent; afflicto afflictionem addi non patitur canonica benignitas.

SIMILITER qui ad negotia Ecclesiæ procuranda profecti sunt habentur pro præsentibus, nec immerito, cum non sui, sed Ecclesiæ causâ absint.

EX iustâ etiam causâ abesse censentur qui intrâ numerum legitimum in comitatu sui Episcopi sunt aut Summi Pontificis.

STUDIORUM causâ absentes majores fructus Beneficiorum suorum percipiunt, non utique distributiones manuales quæ singulis horis præstantur at præsentibus tantum debentur.

SED neque majores fructus præstabuntur Clericis studiorum causâ absentibus, nisi petierint ab Episcopo licentiam, & ibi studeant ubi competens studiorum exercitium viget.

CIVILIS.

Ex Lege 6. Cod. *De Bonis quæ liberis &c.*

LEGE XII Tabularum quidquid filii familias acquirebant, id totum patri statim & pleno jure acquirebatur.

VERUM Augustus, alique Principes, ut filios familias invitarent ad militiam, iis peculium castrense concesserunt, in quo pro patribus familias habentur.

TUM ad exemplum castrensis peculii etiam quasi castrense concessum est, ita ut de utroque possint testari filii familias.

DEINDE Arcadius bona materna, Theodosius Junior & Valentinianus lucra nuptialia exceperunt.

SPONSALITIAM largitatem Leo & Anthemius; cætera denique adventitia Justinianus excepit quoâd proprietatem duntaxat.

QUINIMO certos adjecit casus Justinianus, in quibus ne usus fructus quidem eorum bonorum patri acquireretur, ac præsertim si quid filio familias eâ lege relictum sit, ne patri usufructus acquireretur.

ITA tamen ut filii familias non possint testari de bonis adventitiis, etiam cum plenum habent eorum dominium.

BONORUM adventitiorum administratio ad patrem, cui eorum quæsitus est usus fructus, spectat, adhibito consensu filii, si contentire possit.

SED paterna reverentia eum excusat à rationibus & actionibus, quæ ab aliis fructuariis exiguntur.

Has Theses ex utroque Jure, Deo duce, auspice Deiparâ, & Præside Cl. V. D. THOMAS SAVAGE, J. U. D. Consult. Facult. Paris. Aggregato, & in Senatu Patrono, tueri conabitur ALEXANDER BERNARDINUS JOURDAN DE SAINT SAUVEUR Parisiensis, die Sabbati 4. Septembris, anno Dom. 1756. à quartâ ad sextam.

Aderunt cum jure suffragii forte ducti Clar. D. D. Girard, Aleaume, Bouchaud, Sauvage, Jolian, Deferriere.

PARISIIS,

IN CAMERACENSI JURIS AUDITORIO.
PRO BACCALAUREATU.

Apud PETRUM-AUGUSTINUM PAULUS DU-MESNIL, Typographum Consultissime Facultatis; ex Typographi BALLARD, viâ Bellovacensi.